

QUÆSTIO II.

Quare in tanta rerum commotione mandat Christus D. suis discipulis ne timeant.

6. At Christus D. suis discipulis: Cum audieritis praelia, & seditiones, nolite terri: Et subdit: Surgat gens contra gentem, & regnum adversus regnum, & terra motus magni erunt per loca, & pestilentia, & fames, & terræ motus, & signa magna erunt. Ecce totius orbis commotio, praelia, seditiones inter homines, cives, & regna, terræ motus horribiles in terra, pestilentia, acris nempe, corruptio, & fames, ingens oppressio, ac corporum vexatio. Signa in celo valde terrifica in Sole, & Luna, & stellis; & tamen inter tot, & tantas contrarietates, ait Christus: Nolite terri: sed fortes, & constantes esto in fide, prædicatione, ac officio vestro, ut explicat de fide, Beda, Alb. Magn. & alii. Generosa virtus nulli labori, ac calamitati cedit, & qui perseveraverit usque in finem hic saluus erit.

Beda. Alb. Magn.

7. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Luc. 22. n. 28. 29. Expende copulativam illam, & connexionem: Vos permansistis mecum: & ego dispono, &c. illis disponit, ac præparat regnum, qui cum ipso permanent, ac perseverant. Eleganter Beda ait: Non inchoatio patientia, sed perseverantia celestis regni gloria denotatur. Quia nimirum perseverantia, que alio nomine; constantia vocatur, robur quoddam, & fortitudo mentis, cunctarumque est columna virtutum, que cum bene recta, & firma consistit, nihil est certius, nihil tutius bonis moribus. Et latè prosequitur explicans, quod si ipsa deficit totum spirituale ædificium corrumpit, & ad nihilum valet ultra.

Luc. 22. Perseverantia, regnum celeste comparat, & virtutum columna est. Beda.

8. Hebræus Pontifex gestabat duodecim nomina Patrum filiorum Israël scripta in lapillis. Habebantque nomina filiorum Israël: duodecim nominibus calabantur, singuli lapides nominibus singularum per duodecim tribus. Exod. n. 21: & cur talia nomina non scribebantur in tabulis sed in lapidibus? Quod in tabulis scribitur, facile consumitur, & à verbibus corroditur; At quod saxo exaratum est, perpetuo durat; quo significabatur, quod sunt scripti, ac deferuntur in pectore sacerdotis cum ingrediebatur Sancta Sanctorum, hoc est, celestem beatitudinem, qui habent firmitatem, constantiam, ut non delectantur, seu pereant. Arnold. Carnot. Tract. de septem verbis ait: Scribuntur in lapillis, quos nulla tribulatio, vel adversitas cum insculptis semel fuerint, evadere poterit, vel delere: illi inscribuntur, qui ab incepto non retrocedunt, sed contempta omni adversitate persistunt, & perseverant. Vide supra Matth. 9. quæst. 7. num. 37. 38. 39. & Luc. 8. q. 3. num. 17.

Exod. Persistentes & firmati scribuntur in lapillis.

Arnoldus.

QUÆSTIO III.

Quare bella, & seditiones dantur, ut signum perituri mundi.

9. At Christus D. in præsentia: Cum audieritis praelia, & seditiones, nolite terri, tunc dicebat illis surgat gens contra gentem, & regnum adversus regnum. Christus adveniens in mundum, pacem in illum introduxit; & inde cantant Angeli; & in terra pax hominibus. Sicut ergo pax indicat regnum Christi existens in mundo, sic bella, & seditiones ostendunt illud à mundo abire, ut notat Origenes homil. 28. in Matth. dicens: Sicut adveniens Christi in pluribus gentibus fecit pacem; secundum, quod dicit Propheta: Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna. Sic consequens est, ut propter abundantiam iniquitatis refrigeretur charitas multorum, & inde reliquerit eos Deus, & Christus ejus, & iterum fieri praelia.

Pax à Christo D. introducta est in mundo. Origenes.

10. Ingrediens Jesus cum magno apparatu Jerosolymam præcipit, ut ducant ei asinam & pulum ejus: Quod totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filia Sion; Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam: Matth. 21. num. 4. Sed quomodo hoc coheret? in hoc magifico, & pompatico triumpho acclamantibus vocibus: Benedictus Qui venit in nomine Domini. Stratis itineribus hominum vestimentis, ac arborum ramis; cur non assumitur ad illum equus generosus; vel aureus currus, multo apparatu ornatus, cum in hoc triumpho, maxime defignaretur, ac ostenderetur præclarissimum Christi regnum inde asinus cum pullo eligitur? Equus animal superbum, bell gerum, sanguine, litæ, ac bello gaudens, sicut & currus ad necem, & mortem olim erat instructus. At asinus, humilis, mansuetus, & pacificus, inde præ cæteris à Christo assumitur denotans, ac denuntians regnum suum valde alienum esse à bello, & contentione, sed totum fundatum, ac consentiens in mansuetudine, pace, ac quiete. Eleganter Imperfectus, homil. 37 in Matth. ait: Dominus ascendens ad Jerosolymam, magnam gratiam pacis, & concordiam mundo universo, quasi testamento reliquit. Non sedit in curru aureo, pretiosa purpura fulgens, neque ascendit super servidum equum discordia amatorem, & litis qui de longa oderat bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cum videritis sanguineam pugnam, dicite in corde bene est factum, sed sedet super asinam tranquillitatis, & pacis amicam.

Matth. 21. Regni Christi totum est in pace, ac quiete.

Imperfectus.

11. De hac pace à Christo loquens Paulus ad Philipp. 4. n. 7. ait: Pax Christi, qua exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu. Pax Christiana & superexcellens est, ut excedat omnem nostrum sensum & intelligentiam nostram; & in quo est tanta excellentia, ut præstantior omni alia pace; Quia hæc Pax Christi non solum pacificat animos ad externa, ut nemo, cum proximo, ac cum alio habeamus pacem, sed & pacificat appetitus ac sensus internos, ut superiori rationi, ac legi Dei; & ejus mandatis acquiescant, & obediunt, ac conformentur. D. Ambr. l. 2. de

Pax Christi non solum sedat externas, sed & internos.

D. Ambrosius.

de Jacob. de hac Christi pace ait: Ipsius pacis fructus in nobis est, quæ est in mentibus singulorum, quæ tenetur affectibus. Ipsius pacis major est fructus, quo spiritualis nequitia tentamenta quo & arma hostilia repelluntur. Ista pax sublimior qua corporaliū passionum excludit illecebras, perurbationesque mitigat quam ea quæ barbaricos sedat incursus. Plus est enim clauso intra se hoste resistere, quam removere.

12.

Ecce adveniente Christo; quanta pax, & quam excellens, ac exuberans nata sit in mundo, sic ipso recedente consequens est, ut sint bella, contentiones, ac commotiones. Unde Theophyl. exponens verba hujus Textus: Cum audieritis praelia, & seditiones: Sic ait: Quidam autem hoc, non solum in consummatione futura, sed & tempore captivitatis Jerusalem fuisse impleta valuerunt; Auctore namque pacis perempto, merito in eis seditiones, & bella locum habuerunt. Ubi caelestia recedunt statim in mundo resurgunt bella, & contentiones.

Theophyl. Absente Christo, praelia, & seditiones.

13.

Deut. 28. Si Dei gratia absit bella, & seditiones.

Minabatur Deus populum suum. Deut. 28. n. 23. Sit Caelum coram te æneum, & terra ferrea: Et quæ consequentia est, ut ex celo æneo terra fiat ferrea, quia si celum denegat, ob peccata nostra, rorem suæ benignitatis, gratiæ, ac supernorum honorum, statim fit terra ferrea, ut producat ferrea instrumenta, gladios, lanceas, sagittas, ac jacula ad bella, contentiones, ac necem, nempe, ac mortem. D. Ambros. Epist. 52. ait. Jam sic & offensa inhabitantium hujusmodi sit, ut divina commotione is inferantur praelia, verè terra est ferrea, telorum segetibus inhorrens, & suis nuda fructibus, fœcunda ad pœnam, sterilis ad alimoniam. Cum caelum clauditur ut æneum, pro fructibus, ac alimonia, terra parturit bellica instrumenta, ut non tritici, sed armorum appareant. amplissima segetes: Verè terra ferrea, telorum segetibus inhorrens.

D. Ambrosius.

QUÆSTIO IV.

Quare Christus D. ait, quod ante ultimum diem oportet, ut fiant bella, & seditiones?

14.

Per labores justis ad virtutes, & cæciores ad penitentiam. Psal. 118.

At Christus in præsentia: Cum audieritis praelia, & seditiones nolite terri, oportet primum hæc fieri: Ante, nempe, universale iudicium, ut tanta vexatione, oppressione, ac labore justis exerceantur ad majores virtutum proventus, & impii, ac peccatores convertantur ad Deum, ad ipsamque moveantur. Hinc David Pl. 118. n. 71. Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Ipsa humiliatio in latæ pressura, ac adversitate, Dux, & baculus fuit ad ostendam, ac implendam Dei legem.

15.

1. Cor. 3.

Dei agricultor laboribus excolenda.

Ait Paulus 1. Cor. 3. num. 9. Dei agricultura estis Dei adiutor estis: Quid habent justis cum agricultura, & ædificatione: & quæ combinatio inter unum & alterum? Multum sanè. In agricultura vi, a ferro expurgatur terra ab inutilibus herbis, & vomere præcinditur ad suscipiendam sementem. Sic justus, ferro tribulationum, vexationum, ac contrarietatum debet expolite animam suam ab omni vitio, ac inquinamento & simul penitentia ad suscipiendum sementem Sylveira in Evang. Tom. VI.

divini verbi, & tunc crescit in ædificium spirituale, ac Dei habitaculum. D. Bruno ibi. Vos estis agricultura Dei à quibus jam eradicata sunt spina peccatorum, estis, inquam, agricultura per oblationem malorum, estis ædificatio per positionem virtutum.

D. Bruno.

Jesus pertransit benefaciendo, & sanando omnes, & tam magnifice, ac liberaliter, ut etiam sape absque alicujus interventu, & postulatione: Sic Paralytico in piscina dixit: Vis sanus fieri? Joan. 5. num. 6. Sic & filio viduæ nemine rogante, dat vitam: Adolescenti tibi dico surge: Luc. 7. n. 14. sic & Lazarum quatuordecim mortuum ad vitam advocat. 11. n. 40. Sic & cæco à nativitate visum, sic leproso clamante: Si vis potes me mundare: Aii, Volo, mundare. Matth. 8. n. 2. Postulat mater filiorum Zebedæi pro filiis: Dic, ut duo filij mei sedeant, unus ad dexteram, alius ad sinistram in regno meo: Quibus ipse respondet: Non est meum dare vobis: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Matth. 20. num. 22. Aliis etiam non petentibus magnifica dona concedit, ut pote, vitam, salutarem visum, his aurem duobus petentibus, & adorantibus postulata negat; maxime cum essent amici, cognati, consanguinei, & eis tam austerè respondet: Non est meum dare vobis. Et si aliis magnificentissima dona, ut salus, & vita absque merito conferantur; at sedes regni caelestis ex alta divina dispositione, non gratis, sed sudore, ac gustato passionis calice comparantur; & si temporalia dona absque petitione merito dantur, non tamen caeleste regnum nulli unquam datur, nisi cui fortiter certaverit. D. Basil. Seleuc. orat. 24. Mostra meritum tuum, & meam invenire potestatem; si leprosus curationem petis, virtutem exero, volo, mundare; si cæcus luminis orbitatem gemis, secundum fidem vestram, fiat vobis. Quod si thronum verò quis petat, & regiam potestatem querat, & sedere ad dexteram affectet: tunc quid possit, curiosè despiciendum pro pietate sudorem testibus reposco; si reperero, quod iis condignum si tunc est meum dare: vocant enim dantis potestatem, accipientis merita; merita vocant, & sollicitant potestatem dantis: si ad sint merita, meum est dare: si absint, non est meum dare.

16. Ioan. 5.

Luc. 7. Ioan. 11.

Matth. 8.

Matth. 20. Et si Deus temporalia dona gratis concedet, non sit celeste regnum.

D. Basil. Sel.

17. Ioan. 14.

Ad habendam vitam in Christo per ejus passionem itinerandum.

D. Ambr.

Ait Christus D. Joan. 14. num. 6. Ego sum via, veritas, & vita: Tria de se Christus hic testatur ut latè explicavi tom. 5. l. 7. c. 11. Via: per quam debemus incedere, & ambulare per labores, & calicem passionis. Veritas: per suam divinam fidem, quam nobis communicat: Vita: per æternam salutem, quam dat. Qui ambulat cum divina fide, in ipso invenit, & possidet æternam vitam. D. Leo serm. 16 de Passione, ait: Merito ipse Dominus factus est, quia nisi per Christum non iter ad Christum. Per ipsum autem ad ipsum tendit, qui per semitam patientia & humilitatis ejus incedit. In quo platea itinere nec æstus deest laboris, nec procella formidini; & D. Ambr. lib. de bono mortis. c. 12. ait. Tu enim via es, veritas, & vita; quia in via possibilitas, in veritate fides, in vita primum: suscipe nos quasi via; confirma quasi veritas, vivifica quasi vita.

